B. N. C
FIRENZE
1013
12

1013.12

ANTI
BLAS
1592

VINCENTII BLASII
GARCIAE VALENTINI
ORATIO FVNEBRIS
IN LAVDEM ALEXANDRI FARNESII,

Sereniſſimi Parmæ, & Placentiæ Ducis.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET
Reuerendiſsimum D. D.

ODOARDVM FARNESIVM
CARDINALEM AMPLISSIMVM.



BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

ROMAE
Apud heredes Ioannis Liliotti. M. D. XCIII.
Superiorum Permiſſu.

AD ILL.^MVM ET REV.^MVM D. D. ODOARDVM FARNESIVM S. R. E. CARD. AMPLISS.

PRÆFATIO.

FVIT opinio vetus, & ea ab ipſo mundi primordio ducta, permanſit ſtabilis, & confirmata temporis diuturnitate, vna cum ſæculis, & hominibus inueterauit; illi, cuius ſit paulo illuſtrior futura conditio, nomen imponi, quod totam rerum, ab eodem olim gerendarum, ſeriem explicet, & quaſi futuræ vitæ imaginem, velut in tabula pictam, oſtendat. Declarant id apud Hebræos Iſmael, Iſaac, Solomon, Ioſias, Iohannes, & innumerabiles alij; apud Phryges Priamus, Hector, Tantalus (ne plures commemorem) apud Græcos Hippocrates, Epicurus, Melampus, Ariſtoteles, Galenus, vt apud Romanos Camillus, Scipio, Cæſar, Pompeius, & eloquentiæ Romanæ parens, Tullius. Hinc Sereniſſimi Ducis, patris tui, omni dignitate principis, & laude virtutis, reiq. militaris gloria in primis admirandi, cum ſingulas ipſius ætatis, licet breuiſſima, partes, actioneſq. conſydero, non dubito, quin illi fuerit, non temere, aut caſu, ſed prudentiſſimo conſilio, & ſingulari prouidentia, Alexandri nomen impoſitum. Vt enim rerum, quas prudenter, iuſte, fortiter, manſuete, & chriſtiane pro publica ſalute geſſit, amplitudo magnum, ſic Alexandrum ſimilitudo fecit. Iure itaque cuius facta factis erat expreſſurus, eiuſdem nomen obtinuit. Nihil ego nunc dicam de altitudine mentis, nihil de animi in rebus periculoſiſſimis conſtantia, in aduerſis patientia, in proſperis æquabilitate, nihil de victoriis, miraculo proximis, nihil de profuſa liberalitate, nihil de bellorum diſſimilitudine, numero præliorum, varietate regionum, nihil de continentia, & integritate, nihil de breuitate vitæ (quod vix aut ſine dolore cogitari; aut ſine lacrimis dici poteſt) nihil denique de innumeris aliis rebus, quibus Alexandri Macedonici Alexander Farneſius ſimilis ita fuit, vt, quod eſt in veteri prouerbio, vterque videatur ouo prognatus eodem. Attingam tantum nonnulla, quæ inſignem quandam inter vtrũque ſimilitudinem indicabunt. Peruenerat ille ad fontem Lybethram, inter Magneſiam, & Theſſaliam, Muſis, vt fama erat, conſecratum. In cuius angulo cum marmoream Orphei ſtatuam vidiſſet, ſubſtitit paululum; & recordatus, quam ipſe multa, quãque mirabilia de antiquiſſimo Vate ab Ariſtotele magiſtro vel ſcripta legiſſet, vel audiuiſſet dicta, voluit illam, more humano, curioſius inſpectare. Cogitabat tacitus, illud eius eſſe ſimulacrum, qui cantu, & fidibus immanes feras manſuefeciſſet, nemora, rupeſq. tranxiſſet, & perennium fluminum curſus retardaſſet. Erat totus in hac cogitatione defixus, cum ſtatua (horribile viſu) cœpit multo ſudore manare. Obſtupuit Alexander, & cuius animum nulla vnquam vel

Frequēs hæc quæſtio eſt apud Platonē.

Priamus, quaſi redēptus.

Hector poſſeſſor, vt qui Patriæ poſſeſſionem tutatus eſt ad extremum vſque ſpiritū, Tantalus infeliciſſimus, teſtimonio Platonis, quaſi talātatus.

Prudentiſſimo cōſilio Farneſius, Alexander appellatus.

Mortu' Alexāder, 33. anno. Far 48.

Horatius.

Carolus Sigonius fontē hunc in Thracia ponit.

Orpheum poetā docet Ariſt. nūquā fuiſſe. Cic. de Nat. Deo. l. 76.

Herculis ſimulachrū ſudaſſe etiam, ſcripſit Cic. l. de Diui. 127.

formidoloſa ingentis diſcriminis obiecta facies deterruerat, re inopinata, & ante illud tẽpus inaudita, vehementiſſime commotus eſt; ac timens, ne porten toſus ille ſudor aliquam ſibi, aut exercitui cladem minaretur, ariolos, vates, coniectores accerſi iubet, qui, prudenter inueſtigando, aut naturę abdita arcana, & retruſa myſteria perſcrutando, aut oracula conſulendo, quid res illa, monſtri ſimillima, portenderet, aperte declararẽt. Aruſpices, qui Regis magnanimitatẽ ſpiritus ſupra reliquorum conditionẽ elatos, & eas initio fere expeditionis, partas victorias, vt, præ earũ magnitudine, orbis terrę videretur anguſtus, oblatamq. doctis hominibus ingenij et ſtili exercendi ſegetem, atque materiam, cui pares eſſe non poſſent, meminerant, non dubitarũt ſtatuę ſudorem eo referre, vt dicerẽt, Sudaturos omnes, qui illius facta vellent, ſcriptis ſuis, poſteritati cõmendare. Hanc ſudantis ſigni interpretationem, & acutã prudentũ hominũ coniectionem, vt nũquam certe refutauit euentus, ita docuit quod Alexandro Macedonico dictum fuit, de Alexandro Farneſio prędictum fuiſſe. Cuius rei vel hoc eſſe argumento põt, quod, dum nobilia huius ſaeculi ingenia, alacriter excitata, illius mirabilia facinora celebrare volunt, etſi plus, quam poterant, contenderint, minus tamen fecerint, quã debebant. Nec eorum cuiquam tam feliciter conatus proceſſit, quin, tum plurima dixerit, multo plura prętermiſerit, & cum ſe vehementer exercuerit, et torſerit, vt oratione ſua argumenti excelſitatẽ aquet, multo ſe inferiorem mediocribus etiã rebus ſenſerit, ibiq. coactus fuerit operi faſtigium imponere, ubi, collatione eorũ, quę ſuperſunt, videatur Farneſius rerum ſuarũ fundamenta ieciſſe. Sudant, &, ut uideo, expertuſq. ſum ipſe, ſudabunt, quicũque naualia, terreſtria, turcica, belgica, gallica, germanica non bella modo, ſed etiã prælia, varias expeditiones, incredibiles victorias, et gentiũ ab eo victarum cũ fortitudinẽ, ac robur, tum coniunctã cum bellicę uirtutis opinione pertinaciã, et animi elationẽ, & rariſſimas, quę illi, vt optare debemus, in beatas ſedes aſcenſum dederunt, uirtutes conabuntur litteris exprimere, & conſignare monumentis. Quoties materię prętantia, & rerũ pulchritudine allecti ad ſcribendum exarſerunt? Quoties multitudine obrutos, amplitudine territos, difficultate victos, æſtuaſſe primum, mox ſudaſſe, alſiſſe poſtea credibile eſt? Et tamen nec laborẽ fugere, nec ſudori parcere, nec oneri ſuccũbere, diſerti homines uoluerunt, arbitrati, ſi aliquã eorum, quæ inclytus Heros pro repb. Chriſtiana fecit, partẽ conſequantur, abunde ſatisfactum exiſtimationi ſuæ. Tantos ſiquidem in animis omnium amores excitauit ſui, tantam charitatem inſeuit beneficentiſſimus Princeps, ut, modo ſe gratos in eum oſtendant, a quo tot, & tanta exſtant beneficia, quot, & quanta non modo non illuſtrare dicendo, uerum ne enumerando quidẽ percenſere queant, quãuis de rei ſuſcepta perfectione deſperent, ipſa tamen eos adũbratio, conatuſq. delectet. Vt hinc coniectura percipi poſſit, vnũ ętate noſtra Alexandrum Farneſiũ fuiſſe, qui inuidiam omnem uirtute ſuperarit, quod Macedonico Alexandro contigiſſe, Plutarchus refert. Fieri non põt, Princeps illuſtriſs. quin eos, qui in Sole deambulant, umbra quadã nihil tale cogitantes, inſequatur. Quoniã uero gloria, ex rebus pręclare geſtis orta, Solem ipſum refert, fit, vt illa praſtantes, inuidia, comes moleſtiſſima, tãquam umbra comitetur. Quid ergo cauſſę eſſe dicemus, cur, cum Parens tuus, rerum bellicarum gloria non ętatis modo ſuę Impera-

Sudantis interpretatio ſimulachri.

Quod Maced. Alexandro dictũ fuit, de Farneſio prædictũ videtur.

Sudant, & ſudabunt rerum a Farneſio geſtarum ſcriptores.

Amor, & beneuolẽtia doctorum hominũ erga Farneſium ſingularis.

Vicit Farneſius omnẽ inuidiã virtute, qđ de Alexand. ſcrib. Plutarchus.

pera-

peratores vicerit, ſed ſuperiorum quelibet adęquauerit, nulla inuidia viuus,
nulla maleuolentia mortuus laboraſſe videatur? Publica, & priuata omnia
Farneſianis laudibus perſonant; vix quiſquam eſt in litteris paulo notior, qui
aut voce, aut ſcriptis non conetur teſtatũ relinquere apud ceterorũ animos; ſe
vnum Farneſiũ admirari, in uno Farneſio ſtupere, nec quẽquam vnquam vidiſ
ſe, nec meminiſſe, nec vere cõmemorare poſſe ſuperiorem cõſilio, grauitate, con
ſtantia, ceteris virtutibus, honoris, ingenij, rerumq geſtarũ ornamentis. Hęc
cũ dicuntur, quanto cũ conſenſu, quanto cum plauſu, quanta cũ voluptate au-
diũtur? tanta certe, ut nemo ſit, qui cũ illa prędicantur, alienę ſe laudi, ſed ſuę
intereſſe putet. Suum.n.quiſque ducit, quidquid in Alexand. Farn. honoris,
quidquid laudis, glorięq. confertur. Hoc uerũ eſſe illud imprimis declarat, qđ
non. qui eum laudet, aſſentator, ſed qui ſumma cũ admiratione nõ laudet inui-
dus, et nequã exiſtimetur. Quid ergo? In tanto Solis ſplendore, & luce nulla
vmbra? in tanta, inquã, gloria nulla inuidia? Enim uero credibile nõ eſt. Acer
inueſtigator earum rerum, quę a natura inuolutæ ſunt, C. Plinius, ſcripſit in
oppido Syene, quod eſt quinq. millibus ſtadiorũ ſupra Alexãdriã, medio Sol-
ſtitij die, nullam umbram uideri, et puteũ, eius experimenti gratia, factum, to
tum illuminari, ex eoq. apparere tunc Solẽ illi loco ſupra uerticẽ eſſe; id quod
in India ſupra flumen Hypaſin fieri eodẽ tempore, docuit Oneſicritus. Paren
tis tui gloria tanta eſt, ut meridiano Soli ſimillima, nullũ inuidię locum relin-
quat, vt quæ noſtris uerticibus immineat, hereat mentibus, infixa ſit animis, et
memorię cõſecrata cõſequentiũ annorũ obliuionis, quę uelut altiſſimus puteus,
multa immortalitate digna, litterarum deſtituta pręſidijs abſorbuit, caliginẽ
illuſtret. Viuent, uiuent memoria ſęculorum oĩum res eius geſtę, atq. uirtutes,
admiratione, & beneuolentia omniũ bonorũ nixę; uiuent celebratæ ſermoni-
bus; uiuent ſcriptorũ monumentis ab omni tẽporis iniuria uindicatę; viuent
denique illis eiſdem regionibus cõtentæ, quà Sol, oculus mundi, ut ait Ambr.
iucunditas diei, pulchritudo cęli, menſura tẽporum, uirtus oĩum naſcentium,
decor, & perfectio ſtellarũ, planetarum Rex, ac dominus, curſũ ſuum, quadri-
gasq. conuertit. Futurũ ſibi nõ mediocri honori putauit Alexãder, ſi ſe Apel
les pingeret, ſcalperet Pyrgoteles, Lyſippus fingeret. Alexander Farn. ha-
buit hic Romæ ſuũ quoq. Apellẽ, ſuum Pyrgotelem; duos uidelicet, egregios
oratores, quorũ alter ſuis cũ coloribus tam ſcite, eleganterq. depinxit, ut haud
fere minus notus orbi terræ ſit illius oratione, quam natura ipſa, & ſua
virtute Farneſius; alter exquitiſſimis laudibus exornatum, ſcalpſit, non in
marmore, ebore, argento, non in ijs, quę manu, & opere facta conficit,
& conſumit uetuſtas, ſed in memoria poſterorum omnium. Deſiderari
uidebatur Lyſippus, qui, vt C. Plinius loquitur, duceret ex auro puriſ-
ſimo. Is dum fortaſſe cunctatur; dum ſe ad tantum opus comparat, dum
occaſionem ſui prodendi commodiorem exſpectat, ſtatui, timide certe, &
verecunde, ſtatui tamen, quid in ea re conari ego poſſem, experiri.
Audax plane & periculoſum factum, ſed quod conſilium, voluntasq. defen
dat. Quemadmodum enim (vt eſt in fabulis) cicada in locum illius chor-
dę, quę ad perfectam harmoniam, & concentum conficiendum, explen-
doſque numeros, intempeſtiue rupta, in Eunomij cithara, deſideraba-
tur, ſucceſſit, ita hac oratio illius orationis, quę & argumento, & te,

Farneſianis laudibus nemo non delectatur.

Lib. 2. c. 73.

Cur nullam inuidiam Farneſius cõtraxerit, ſed illã omnem extinxerit.

In Hexamero.

Plinius, & Cic. ad Luceiũ, ep. fam.

Apelles Farneſij.

Pyrgoteles Farneſij.

Scalpo, non ſculpo, auctore Diome.

Lyſippus deſideratur.

nouo, coq; Clariſſimo Sanctę Romanę Eccleſię lumine haberi digna poteſt, loco erit, receſſura ſubito, vbi melior, ac aptior (quod ſtatim, vt arbitror, fiet) apparuerit. Dum itaque nobiliſſimus aliquis artifex apparatione magnificentiſſimi, & pretioſiſſimi muneris detinetur, noſtraſque mentes, eius exſpectatione, ſuſpenſas tenet, Parentis tui ſimulacrum, quod uirium imbecillitas, & tenuiſſima opes ingenij mei ex ęre finxerũt, atque formarunt, fronte iſta generoſa, ideſt Farneſiana, & indicę ſumma humanitatis, quæ tuę familiæ propria, & vera laus eſt, accipe, aureum ab illo, cui tantę erunt copię, tam diues, & abundans auri vena, vt tale offerre poſſit, exſpecta.

Propoſitum aut finis orationis ſequentis, & præfationis.

Mihi ſatis erit eripuiſſe (id enim ſibi propoſuerat oratio noſtra) omninoque ſuſtuliſſe ex multorum animis errorem quendam inueteratum, & longe, lateq; diffuſum. Immodici quidam antiquitatis laudatores ſic iam naturam conſenuiſſe, ſic exhauſtam vetere fœcunditate, & exinanitam putant, vt ab ea, iamdiu effœta, nihil heroicis temporibus ſimile exſpectandum eſſe contendant; alij contra de veterum pręſtantia nimis anguſte, & demiſſe cogitantes, ac ſentientes, fabulas de illa inanes, & meras nugas, litteris mandatas, aut ſaltem, quod hiſtoriarum fidem eleuet, maiora vero prodita, cenſeant. Effeci profecto (niſi quid me fallit ratiocinantem) breui rerum a ſereniſſimo patre tuo geſtarum commemoratione, vt neque illi debitam laudẽ poſteris, & facta illuſtria, atque glorioſa, antiquitatis admiratione, detrabant; & hi a veteribus Romanis illa, quę apud grauiſſimos ſcriptores leguntur ſatis credibilia, geri, cum incredibilia ab Alexandro Farneſio geſta viderint; &, quæ Urbs hunc noſtrum, L. Metello feliciorem, Macedonico Alexandro, magnitudine rerum parem, euentu ſimillimum, hac ætate genuit, eandem ſummos illos homines olim parere, potuiſſe, fateantur.

Quidam ſic antiquitatem venerantur, vt poſteritatem contemnãt; alij poſteritati tãtũ tribuunt, vt antiquitatẽ inanibus fabulis plenã, & mendacem derideant.

Prid. Non. Iunij. An. M, D. LXXXXIII.

VINCEN-

VINCENTII BLASII GARCIAE VALENTINI ORATIO FVNEBRIS

in laudem Sereniſsimi ALEXANDRI FARNESII, Parmæ, & Placentiæ Ducis.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET Reuerendiſsimum D. D.

ODOARDVM FARNESIVM Cardinalem Ampliſſimum.

SI quemadmodum homines, pietatem, iuſtitiam, beneficentiam, ceteraſq. virtutes colendo, nomen, ſic uitam immortalem in terris conſequerentur, Viri clariſsimi, nunquam Dux Alexander Farneſius triſte, & luctuoſum nobis ſui deſiderium reliquiſſet; neque pulcherrimos illos fructus, maximeq. neceſſarios, ac ſalutares, quos ex eius curis, laboribus, periculis capiebat chriſtiana reſpb. tã mature immaturus interitus ademiſſet; neque tot, & tam ſpectatæ in omni conſiliorum, & rerum euentu, actiones, octauo, & quadrageſimo ætatis anno, mortifero velut ictu perculſæ, concidiſſent. Etenim quæ poſteritas tam immemor erit, quod tam rude, & imperitum ſæculum, quæ tam ingratæ, & tanto ſtupore oppreſſæ mentes reperientur, vt non eum, cuius prudentia, fortitudine, felicitate, tanta, quanta mens, & cogitatio capere poteſt, geſta ſunt, immortalitatis memoria proſequantur? Vt ergo Farneſij facta cum per ſe clariſsima, maximeq. glorioſa, tum ad imitamdum expoſita, hominum recordatione ſemper uiuent, alentur linguis, litterarum monumentis inueteraſcent, poſteritati omnium ſæculorum propagata, ita Farneſius, cui nihil, neque ad ſummi honoris amplitudinem, vnde peropportuna oſtendendæ virtutis occaſio naſcitur, neque ad ſempiternam rerum geſtarum laudem, vnde celebritas nominis, & fama paratur, defuit, nactus vitam gloriæ ſuæ parens, immortalis inter mortales verſaretur. Sed quoniam hanc lucis vſuram, quam hominibus natura perparuam dedit, Alexander Farneſius infinitam ſibi ad gloriam, admirandis virtutibus, fecit, lętemur potius eum ita aliquando vixiſſe, vt vitæ ſingularis quædam felicitas ſocia fuerit, mortis nunquam intermoritura memoria comes futura ſit, quam, vtilitate noſtra rem totam metientes, doleamus, nimis cito viuere deſijſſe. Cum ſama mortui ea eſt, vt illius obitus & mœrore ſuorum, & bonorum deſiderio, & ſapientium iudicio, & viuorum pręedicatione celebretur, diuinum pręmium eſt ex hac

vita

vita diſceſsiſſe. Hoc bonum, quo pauca maiora, & optabiliora, cum Farneſio, cæleſti munere, datum fuerit, quid eſt, cur angamur, aut animo perturbemur, quòd non ad ſatietatem noſtram, quæ nulla vnquam fuiſſet, ſed ad eius legem, cuius voluntate vitam ingreſſus fuit, de vita exierit? Abducite, abducite, quæſo, a doloris ſenſu cogitationes veſtras; mẽtes ab hominis interitu ad res geſtas fortiſsimi, ac feliciſsimi herois, ex ingenti, immenſoq. campo, totius, nimirum orbis terræ theatro, in exiguum ſane vnius orationis, quaſi gyrum, compulſas, hodierno die reuocate. Sic enim fiet, ſpero, vt, & illius memoriam beneuolentia, & obſeruantia, & me, cui grauius, officij onus impoſitum eſt, quam à quo quam ſuſtineri poſsit, indulgentia, atque miſericordia proſequamini. Illa Sereniſsimo Principi a prudentia veſtra iure debentur, hæc mihi à benignitate negari non poſſunt, qui ſingulari aduerſus mortuum reuerentia, eo progreſſus ſum, vt dicendi audaciam cum gratificandi voluntate, tum parendi neceſsitate, ſuſceperim. Et quoniam, qui ante me dixerunt, oratores, lectiſsimas quaſque, & rariſsimas Farneſij virtutes, ſuum quiſque ſecutus ingenium, vt pulcherrimos, & ſuauiſsimos ex multa excellentium varietate florum, & copia, faſciculos, colligere voluerunt, ego in hac oratione ita me tractabo, vt, ſi vlla eſſe in rebus hu-

Farneſius feliciſſimus ex comparatione L. Metelli, qui eſt omniũ habitus feliciſsimus.

manis felicitas poteſt, eam Farneſio, diuinitus conceſſam, ex illius, qui antiquitatis opinione, & illuſtrium ſcriptorum, monumentis, habitus eſt feliciſsimus, comparatione conuincam. Conſideranti itaque mihi & in eos homines, qui duobus ab hinc fere annorum millibus Romæ non modo dignitate, & gloria, ſed etiam ſumma felicitatis exiſtimatione floruerunt, intuenti, ſtatim occurrit L. Metellus, qui, non tam vſitata hominum in ſuos indulgentia, & conſequentium annorum teſtimonio, quã ſecundo earum euentu rerum, quas expetiuerat, felicis cognomen in-

Decem optauit, & aſſecutus eſt Metellus.

uenit. Optauerat ille, vt Primarius eſſet bellator, Imperator fortiſsimus, ſummus Senator haberetur, ſumma eſſet ſapientia, magnas res auſpicio ſuo gereret, multos liberos relinqueret, maximo honore vteretur, pecuniam magnam honeſte compararet, orator optimus, & vir clariſsimus eſſet in ciuitate. Hæc omnia, quæ tanta ſunt, vt haud ſciam, alia ne ſint in rebus humanis maiora, ad illius fluxiſſe voluntatem, Q. Metellus in ea oratione, quam in funere patris filius habuit, ſcriptum reliquit. Eadem ego illa multò, ſi vſum reſpiciamus, vberius, ſi dignitatem ornatius, ſi cauſſam iuſtius, ſi exitum, felicius contigiſſe Alexan-

Primarius Bellator.

dro Duci, vt qui cumulate beatam inter homines vitam, cum magna expectatione cæleſtis expleuerit, demonſtrabo. Equidem non negarim (neque enim is ego ſum, qui res, vetuſtate robuſtas, ſtudeam calumniãdo peruertere) talem fuiſſe bellatorem Metellum, qualem ſe optauit eſſe, & vetera monumenta teſtantur: verum idem ita ſtatuo Farneſium, ſi vna mecum illius facta leuiter adumbrante, & breuiter perſtringente, perpendere animo volueritis, quando oculis cernere non licet, longe,

Ad claſſem chriſtianã ꝓ

multumq. præſtitiſſe. Vix è complexu auunculi, Hiſpaniarum Regis, terra, mariq. præpotentis, a quo honorifice exceptus, amantiſsime tra-

ctatus,

ctatus, liberaliſsime dimiſſus fuit, in Italiam redierat, cum, vectus quadriremi, quam ſuo ſumptu ædificarat, ad chriſtianã claſſem nauigauit, vt publicam ſalutẽ, quæ in longe maximũ diſcrimen vocabatur, quantũ ipſe viribus, quantũ armis, quantũ virtute, quantũ denique sãguine ſuo & vita poſſet, adiuuaret. Concurrunt infeſtis & animis, & ſignis claſſes inſtructiſsimæ, & ornatiſsimæ, altera chriſtianorum, altera turcarũ. Farneſius e ſua in hoſtilem, quæ aduerſa conſtiterat, quadriremẽ tranſcedẽs ea facinora militaris virtutis. ſcuto protectus, & ſtricto gladio, obuios quoſque proſternens, edidit, vt, ea capta, & hoſtibus ad vnum interfectis non leue ad victoriam poſt hominũ memoriam inauditã momentũ attuliſſe, præclara omniũ confeſsione dicatur. Nec fuit tunc quiſquã tanta imprudentia, vt non eũiam tũ ſummæ bellicarũ rerũ gloriæ deſtimaret, nec tanta inuidentia, vt id vehementer non cuperet, nec tanta impudentia poſtea inuentus eſt, vt illorũ præſagitionẽ falſam dixerit, horum vota inania duxerit. Accidit etiã opportuniſsime ad eam, quam homines de futura Farneſij magnitudine animo imbiberãt, opinionẽ, omnino cõfirmandã, præclara illa victoria, quam eo, qui ſecutus eſt, anno de quinque equitum turcarũ millibus, exigua manu, ad Auarinũ fugatis, reportauit. Hoc admirabili bellicæ fortitudinis initio facto, &, ad certiſsimã fortiſsimi Imperatoris ſpem, quaſi tyrocinio depoſito, Placentiã reuertitur, non tam exuuijs nauticis, & hoſtilibus ſpolijs ornatus, quam maiorum rerum ſtudio, & ſolidæ gloriæ deſiderio inflammatus, quã ex religione chriſtiana, cui ſe iam pridẽ totũ deuouerat, aucta, ex impietate profligata, in quã acerrimum, & iuſtiſsimũ odium patefecerat, ex ſub acta perduelliũ inſolẽtia, ſuperbia, contumacia, quærendã ſibi, ſine vlla dubitatione, conſebat. Habebant tunc magnã Italiæ partem, ſed præcipue parmenſem, & placentinã ditionem, excurſionibus, & latrocinijs infeſtam ſceleratiſsimi graſſatores; nulli mortaliũ communis humani generis hoſtes parcebãt; armati obſidebãt itinera; uiatores, ex inſidijs adorti capiebant, captos ſpoliabant, ſpoliatos acerbiſsime cruciabant, cruciatos crudeliſsima morte mactabant. In hoc hominum ne, an immanium belluarum? genus nulli fidũ, omnibus odioſum, amicis moleſtũ, inimicis refutandũ magis, quã laceſſendũ, & cõmuni luce indignũ, adeo generoſus animus Alexandri & præteritarũ iniuriarũ dolore, & præſentiũ iracundia, quã fortitudinis cotẽ philoſophi quidã appellarunt, exarſit, vt, minime ſua exiſtimatione, rebuſq. geſtis indignũ ratus, armis, & copijs conſtãtiſsime, nec ſine maximo labore, & periculo, vt eſt gens inſidioſa, fallax, ſaltibus, & aſperrimis locis aſſueta, inſecutus, tãdẽ, cũ omnia, quò ſe reciperent, perfugia, &, qua elaberentur, effugia intercluſiſſet, quos ſanare non poterat, ultus eſt. Pacata ſua ditione, hominũ animis in admirationẽ ſui, & amorẽ concitatis, atque reliquis Italiæ principibus, ſi imitari vellent, relicto præclari facinoris exẽplo, in Belgiũ, ad alterũ auũculũ, pulcherrimũ pacis ornamentũ, ſubſidiũ belli firmiſsimum, chriſtiani nominis decus eximiũ, Iohannem Auſtriũ, qui tũc illi prouincię, cum ſummo imperio, fratris nomine præerat, omnibus bene precantibus linguis, fauentibus animis proficiſcitur, habiturus mox, vt optauerat,

Sciſcitur Farneſius ſua vectus triremi.

Farneſius aduerſam triremẽ expugnat

Præſagitio de Farneſio.

Farneſij victoria de Turcis terreſtri prælio.

Redit ad ſuos Par.

Graſſatorum immanitas.

Graſſatores ex ſua ditione expellit F.

Peripatetici

In Belgium proficiſcitur F. ad auunculũ Iohannem Auſtrium.

materiam animo ſuo, ac ſtudijs parē. Atq. o præclare factū a multis de Farneſij in illam prouinciam aduentu iudicium. cū ex ipſius, & Alexan. & Farneſij nomine, ex initijs, nihil vulgare pollicentibus, ex domeſtica diſciplina, quid in illa turbulenta, & rerum nouarum ſtudioſa, & malis ſuaſoribus deprauata, prouincia facturus eſſet, acuti quidā homines con iectabant. Etenim quis, cum priſtinam Farneſianæ familiæ virtutē memi niſſet, cum Alexādri in nauali, terreſtriq. prælio animū, conſtantiā, ſpi-ritus ex re bene, feliciterq. geſta, mirabiliter auctos recognoſceret; cum profligatū, & extinctū ſicariorum genus, cogitaret, cū videret tot res, & tantas ætatis flore geſtas, dubitare poſſet, qualis futurus eſſet, cōfirmata ſtirpe virtutis? Et, vt intelligatis eū cum doctrinæ, & inſtitutionis vim, tum rarā naturæ bonitatē, atq. præſtantiam ſecutum, & Romæ, in pater no gremio, & in Hiſpania, apud auunculū (non diſputo qualē auunculū) & in otio, ſi quod illi contigit, & in negotio, quo delectari maxime videbatur, non modo prudenter cogitandi, & vere ſentiendi, ſed etiam optime & faciendi, & de re chriſtiana merendi, cui ſe natum iure gloriari poterat, rationem quęſiuiſſe, certiſsimum accipite argumentum, quo exiſtimare facilius de ſingulari illius, & inuſitata virtute poſsitis. Quo die Belgium attigit, eodem die ad grauiſsima rerum maximarum, & memoria digniſsimarum negotia, intimamq., Auunculi familiaritatē admiſſus, omnium ad ſe ora, oculos, animos, amoreſq. conuertit. Venerat in illam prouinciam Iohannes Auſtrius vehementiſsime perturbatam, agitatam inteſtinis diſſenſionibus, varijs erroribus à recta ratione detortam. Eam, vt quam breuiſsime poſset, tranquillaret, ab internecinis bellis ad pacem, & concordiam traduceret; & a vijs lubricis, tortuoſis, ad tartarea immanium laruarum ergaſtula deducentibus ad directam, ſimplicem, & æternæ ſalutis reuocaret, quantum ipſe per ſe gratia, auctoritate, imperio, & multiplici tractandorum animorum arte, quantum etiam ſuorum ope, & auxilio poterat, tantum, digniſsimus immortalitate, Princeps, contendebat. Ea res cum conditione rerum præſentium, tum inueterato odio præteritarum, tum, quod ita ſit natura comparatum, vt non ſolum pacificationis, præſertim apud exulceratos animos, principia tarda ſint, verum etiam ſpiſsi, atque producti exitus, habebatur humana prudentia maior. Verum cum auunculo, grauiſsimam rerum molem ſuſtinenti, velut Atlanti Hercules, ſororis filius acceſsiſset, factum eſt, quod vix fieri poſse videbatur, vt operi, quod multorum antea conſilia, labores, conatus eluſerat, poſtrema, breui tempore, manus acceſsura videretur. Apparuit tunc, ſi vnquā alias, veriſsimum illud eſse; Frater, qui adiuuatur a fratre, ſicut ciuitas firma. Nam pridie Kal. Feb. cum annus ageretur ꞁↄ. ꞁↄ. lxxviij. ſecutum eſt feliciſsimum illud, & cruentum, ſed maxime perduellium ſanguine, prælium ad Gemblacum, clarum oppidum religioſo quondam templo, & inſtructiſsima bibliotheca, ſed piorum victoria, & impiorum nece notiſsimum. Vt iam minus quodam modo mirer, Farneſium, qui tunc equitibus trecentis præerat, in hoſtilem aciem, quæ octingentis equitibus, & ſexdecim peditum millibus conſtabat, non ſuaſiſse, vt irrumpe-

Admittitur ad res grauiſſimas Fax.

Iohānes Auſtrius, Belgij Gubernator.

Prouer. 10.

Victoria inſignis ad Gemblacum.

rent

rent, ſed irrupiſſe, non in eundi prælij rationem ſententia ſua, ſed exemplo, & manu docuiſſe, cum illud oppidum, templi ſanctitate, ſanctiſsimæ cauſsam religionis viro, eiuſdem amantiſsimo commendare, librorum copia veriſsimæ laudis, quæ ex litteris petitur, ſpem homini, cuncta ad perennem gloriam dirigenti, ante oculos ponere videretur. Cecidére eo die hoſtium decem millia; capta ſunt ſigna equitum quatuor, peditum ſeptuaginta, tormenta bellica ſex; peruenére in noſtrorum poteſtatem, præter commeatum multorum menſium, atque impedimenta, Guignius, totius exercitus Dux, minores Duces triginta, & hominum capita ſexcenta. I nunc, & Metellum primarium bellatorem iacta, eumque cum Farneſio compara; facies quidem perinde, ac ſi lucernam luci ſolis oppoſueris. Sed neque tunc primum, vt ſcitis, neque vno illo facto primarium ſe bellatorem præſtitit. Nam quatuordecim ipſis annis, quibus cum Iohanne Auſtrio, quoad ille vixit, vixit coniunctiſsime, tot res, ac tantas acriter, vehementerq. præliando fecit, vt auunculus, eius vnius forti, fideliq. opera vſus, prouinciam illam maxima prudentia conſtituere, inſigni æquitate temperare, ſalutaribus præceptis inſtruere potuerit. Quemadmodum enim ſtella, hominum generi proſpera, & ſalutaris, ſi cum altera eiuſdem naturæ coniungatur, fit, vt & vtriuſque bonitas augeatur, & vberiora commoda in res inferiores deriuentur, ſic euenit, vt, cũ, bellica, & ciuilia munia inter ſe prudentiſsime partirentur, & omnes cogitationes fideli ſocietate deuincirent, multo magis vtriuſque virtutes enituerint, validiores vires nactæ ſint, &, inuicto quodã robore munitæ, res arduas, & laborioſiſsimas, & prope deſperatas animoſius ſuſceperint, facilius tractarint, felicius perfecerint. Verũ prò Dolor, illa animorũ coniunctio, celerius, quã rei chriſtianæ cõduceret, dirempta, illa voluntatũ, ſtudiorũ, ſententiarũ cõmunio alieniſsimo tẽpore diſtracta, illa conſpiratio beneuolentiæ, ille conſenſus virtutũ intẽpeſtiue diuulſus earundẽ toti orbi chriſtiano, nedũ illi prouinciæ, uſum eripuit. Decidit enim altera ſtella; illa, illa, inquã, ſtella occidit, cuius fulgore chriſtianã reſpublica collucere, atque illuſtrari videbatur; cuius cõſpectũ ferre, pulchritudinẽ intueri, vim ſuſtinere chriſtiani nominis hoſtes non poterãt. Sed reuoco has querelas meas, meq. ipſum inſcitiæ arguo, qui te, lucidiſsima ſtella, Iohannes Auſtrie, ſtellam extinctã dixerim, cum, ut ſperare licet a diuina bonitate, ſempiterno œuo, fulgentiſſima, perfruaris. Nũc uere ſtella es, cum ſtes, uere ſydus, cum ea conſyderes, quæ nec auris audiuit, nec oculus uidit nec mens, aut cogitatio humana conſequitur; noſq. ad tuæ felicitatis conſyderationẽ, quotidie magis, ac magis, deſiderio tuarũ præcellentiũ virtutũ, inuites. Erat antea in te aliquid obſcuritatis, ut quæ ex altiſsimo cæli domicilio in terram depreſſa, in corpore, uelut in teterrimo carcere incluſa, uerſabaris: nũc per illuſtris es, & perlucida, cum ab illis uinculis ſoluta, & cælo reddita, lumen a ſempiterno ſole mutueris. Vaga antea, & mutabili ratione uoluebaris; nunc in cælo fixa non moueris loco, ſed ſuperis illis ſedibus hærens, perpetuoq. manens, conſtantiam in omni æternitate retinebis. Nec tam dolemus, quod à nobis, opinione celerius abieris,

Hoſtium ſtrages.

14. annis operam Auunculo nauauit in Belgio Far.

Moritur Iohannes Auſtrius.

Stella, aſtando, ſydus, a conſyderãdo dicitur, auctore Iſidoro.

quam gratias agim⁹, quod ſic abieris, vt prudēter cogitaueris, quomodo prodeſſe nobis etiam, & manere quodāmodo nobiſcū poſſes. Reliquiſti enim in tuo loco Farneſium, nimirum, tecū neceſſitate coniunctiſſimū, moribus, & vita ſimillimū, ętate pœne æqualem, ſtudio erga rempb. & charitate parē, uno uerbo, alterum te, vt neque Rex catholicus fratrem (quos.n.natura propinquos genuerat, eos amor ſingularis fratres effecerat) neque Belgium Gubernatorem, neque exercitus Ducem, neque boni præſidiū, neque improbi ſcelerum uindicē, neque catholicæ fidei cauſſa patronū amiſiſſe, ſed leuem quandā mutationem feciſſe uideātur. Mortuo Iohanne Auſtrio, Farneſius, quod ita moriens Auūculus teſtamento cauiſſet, laborem illum periculoſiſſimū, & optimo cuiq. cum poſſit, declinandum, ſubijt, ſi voluntatem quæras, inuitus, ſi ſtudiū iuuandę reipb. lubens, ſi animi decretum, ad tēpus. Tam diu ſiquidem publicis rebus præeſſe ſtatuerat, quo ad Rex Philippus vel aliū mitteret, uel illū in Belgio eligeret, cui tam variū, tam multiplex, tam implicatum, tuto credi negotium poſſe cenſuiſſet. Non fuit Regi catholico diu, aut multū dubitandū, quin Farneſium tantis rebus præficeret, quem ipſe iamdiu animo deſtinarat, & ab eo præfectum videret, qui nihil propinquitati, nihil beneuolentiæ, nihil precibus, nihil gratiæ, nihil alienæ ambitioni dare, ſed ſuorum commoda, fratris decus, fidei catholicæ cultum, diuini numinis obſeruantiā reſpicere, ſpectatam, & probatam virtutem attendere conſueſcet. Nec ignorabat prudentiſſimus Rex, uel maximo terrarum, & maris interuallo diſiunctus, quale, & quam inuſitatū ſpecimen dediſſet Imperatoris per ipſos quatuordecim annos, factus auūculo omnium horarum comes, cogitationum conſcius, periculorum particeps, muneris ampliſſimi conſors; illo autem orbatus, & cogitationibus ſuis, iudicioq. relictus, quę, quā breui tēpore, & quāta, bello, paceq. geſſiſſet. Quis etiā Senator vnquā in dicenda ſententia, in ſuffragijs ferendis, in iure adminiſtrando, in controuerſijs ſedandis, in querelis gentium audiendis maiorem, quā Farneſius, ſapientiam præ ſe tulit? Quis vnquam acutius omnes reipb. partes inueſtigauit? quis diligentius quæſiuit, quid prouincia haberet militum, quid valeret ærario, qui eſsent ſocij, qui amici, qui ſtipendiarij, qua quiſque conditione, lege, fœdere? Quis exploratius tenuit conſuetudinem decernendi? Quis accuratius nouit maiorum exempla? Quis cetera munera, quæ Senatoris ſummi, & hominis ſapientiſſimi eſse ſolent, ſuſtinuit laudabilius? Hinc conſtat Farneſium non bellatorem modo, & fortiſſimum Imperatorem, uerumetiam ſummum Senatorem, & ſummæ ſapientiæ virum fuiſſe, ijſque uniuerſis laudibus, quæ ſingulæ vix ſingulis contigerunt, ſupra quam dici poſſit, floruiſſe. Rex igitur, qui hæc omnia nouerat, Alexandrum Farneſium, quod bonum, felix, fauſtum, fortunatumq. ſit orbi Chriſtiano, Gubernatorem totius Belgij, & regij exercitus Imperatorem, ampliſſimis verbis, clariſſima amoris paterni ſignificatione, ſuo diplomate declarat, illique in omnes ordines, ætates, in quoduis hominum genus poteſtatem vitę, necíſque concedit. Cæpit tunc Iuuenis acer, & gerendis rebus natus, ſeſe totum explicare, conſilia ſuis e uigilata cogitationibus, quo maxime

Publicam ſuſcipit cauſſā Farneſius.

Summus Senator, & ſumma ſapientia vir.

Eligitur a Rege catholico Gubernator Belgij, & exercitus Imperator.

time expediebat, dirigere, res dubias facile expedire, futuras acute prę ſentire; imminentes, vbi opus erat, caute declinare, vbi tutum, alacriter excipere, ſubire difficiles animoſe, verſare in omnes partes ingeniū ſuum, in Chriſtianam cauſſam tam ardenter incumbere, vt ſi fieri poſset, vel plures animos habere vellet, quos omnes ad propugnationem, & propagationem ſanctisſimæ legis intenderet, uel plures uitas, quas pro communi bono, pro pacificatione prouinciæ, pro auunculi Regis exiſtimatione profunderet. Senſere id quidem cum maximo ſuo malo, & dedecore, Alenconius cum Gallis, Caſimirus cum Germanis, quando Namurco, ubi obſidebatur, egreſsus, illatum bellum, commutata fortuna, ita in hoſtes conuertit, ut eorum rebus, ſatis tunc florentibus grauiſſimam ſecurim iniecerit. Quis factum, non fictum credat, illis copijs, quas Farneſius, inique laceſſitus, raptim coegerat, tam imparatis; cum ipſe nondum ab auunculi obitu luctū abſterſiſſet; nondum ſeſe a mœrore aliquantum recreaſſet; nondum ad bellum, nedum ad prælium, comparaſſet, hoſtiles duplo maiores, (quadraginta peditum, equitum octodecim millia recenſebantur) tam egregie inſtructas, cogitato dolo, meditato ſcelere, nimium ſibi confidentes, tot gentium auxilijs auctas, firmataſq. præſidijs, fundi primū, deleri deinde potuiſſe, præſertim cum cæſorum multitudo eos, a quibus cedebantur, numero prope ſuperaſſe dicatur. O victoriam, niſi, vt multæ aliæ, celeſti numini adſcribatur, etiam nobis, qui pœne vidimus, incredibilē, niſi oculatis teſtibus confirmetur, apud omnem poſteritatem fide carituram! Neque altisſimæ turres, & munitisſimæ, neque inſanæ abſtructionum moles, neque rapidisſimi ingentium fluminum curſus, neque tormenta bellica, cuncta terribili ſtrage, fulminum inſtar, proſternentia, neque inſidiæ, neque doli, neque proditiones Farneſij ardorem extinguere, impetum retardare, aut ſaltem impedire potuerunt, quo minus amicis laborantibus adeſſet, inimicis obſiceret, dubios confirmaret, obſtinatos ad ſanitatem traduceret, atque ſic quenque tractaret, vt quiſque meruiſſet. Quis ignorat ſtultam illam dicacitatem, & inſulsisſimū ſalem, quem Traiectenſes in irridendis Apoſtolorum Principibus conſūpſerunt, ipſis eiſdem horribili ſtrage conſtitiſſe? Dixerāt è muro infelices, & imminētis exitij penitus ignari, mirari ſe, cur obſeſſores nondū a Petro, vt clauibus, quas in manu tenet, oppidi fores aperiret, & a Paulo, vt gladio, quo, ad inanē terrorē armatus depingitē, obſeſſos iugularet, impetraſsēt. Hęc iſti iiij. Kal. Quint. impudēter, & impie, maximo cū riſu, ſed ſardonio, cauillati, iactarāt; verū iij, ideſt, altero ſequēti, qui vtriq. Apoſtolo dicatus eſt, quātū iactas ſe pænituerit, ex eo cōijcite, qđ victo ſociorū exercitu, expugnato, captoq. oppido, quas voces pridie ex impuro ore fudiſſent, eaſdem per iugulum poſtridie rediiſſe ſenſerint. Qui neminē voluit, in ſanctisſimos præſertim viros, impune dicacem; qui verba effutita temere, uinculis, uerberibus, & ſupremo ſupplicio caſtigauit, hunc, quid arbitramini facturum illis, qui, ad euertendā pietatē, & ueram animi religionem penitus exterminandā, furioſam impudentiam, ad imperiū inuictisſimi Regis repudiandū, illiusque miniſtros ſceleratis armis perſequendos, incōſideratisſimam temeritatem

Farneſij admirabilis victoria.

Traiectenſium ſtulta, & impia dicacitas uidicata

ritatem

ritatem ſuſcepiſſent? illa vos, pro veſtra ſapiētia, cogitationi ſubijcite, quādo illis à me par oratio afferri non pōt. Senſere præterea inuictā Farneſij vim, ac virtutē, nullius audaciæ cedentem, ſibiq. ad victoriā, quà vellet, viā aperientem, Aldernarda, Gandauū, Tornacū, Nauportus, Cameracū, Terramunda, Diſmunda, Dunchercha, Zutphenū, Niuella, Lichercha, Villauordia, Breda, Grauia, Excluſa, Carpena, Axella, & alia ſexcenta oppida, nō tam nominibus barbara, quā defectionis ſcelere, & deſpecta vera religione, ad omnē impietatē parata, atque propenſa. Horū quædā primo belli impetu cepit; nōnulla ſola exercitus victoris fama, recuperauit, alia ad deditionē, fame compulit; alia exēplo alienæ calamitatis, expugnauit; oīa redire ad officium; legitimi domini imperio parere, Deum priſtino cultu venerari, Eccleſiā Romanā, eiusq. caput ſuſpicere coegit. Quid? cum litteris Sixti v. Pont. Max. admonitus, nullā ſibi morā attulit, quin in Germaniā exercitū duceret, Noueſiū expugnaret, indeq. nefariū, ac impiū Chriſtianæ fidei deſertorem, Epiſcopū Colon. extruderet, & eijceret, & in illa dignitatis, & honoris clariſsima ſede Erneſtum, Sereniſs. Bauariæ Ducis fratrem, omni pietatis laude præſtātē maximo cum plauſu bonorū, & totius Eccl. Rom. gaudio, collocaret? Creſcit mihi materies, Viri Illuſtriſs. ſed oratio rerū granditati, & multitudini cedit; ingeniū, quo uehementius in rerū dicendarū delectu laborat, eo in certius fluctuat; meq. ipſum multo magis relicta torquent, quā electa delectant. Hoc tū audacter, addo etiam (niſi dicerē apud vos) incredibiliter, ſed vere dicam, Farneſium, dum Dei Opt. *Max*. & Philippi Rēgis iniurias armis perſequitur; dum Eccl. Rom. dignitatem, auctoritatē Sūmi Pont. vtriuſque reuerentiā exturbatā è Belgio, & expulsā, in eodē conſtituere, & collocare nititur; dum, quod neceſſe eſt aliquādo fieri, vt tunc fieret, nēpe, vt vnus eſſet Paſtor, & vnum Ouile, pro virili parte contendit, maria ambulaſſe, terramq. nauigaſſe. Quis ignorat? Quis ita hoſpes eſt, nō in hac Vrbe, ſed in tota Europa, qui nō audiuerit, quanto artificio, quibus ſumptibus, qua molitione, quanto cū vitæ periculo, quanto cū hoſtiū terrore, quanta cū ſua gloria, & orbis Chriſtiani gratulatione, Antuerpiam, florentiſsimā ciuitatē, omni copiarum genere abundantē, domeſticis viribus, & externis cū vicinarum, tum remotiſsimarum gentium auxilijs validiſsimam, arte, & natura, diuturnaq. & diligentiſsima pręparatione munitiſsimā, mœnibus, turribus, caſtellis, ingentiq. tormentorū apparatu, vt ferebatur, inexpugnabilē, intra decimumquartum menſē, expugnarit? Effuderat ſe (vt hinc maxime, relicto ſuperiore obſidionis tēpore, incipiā) in ſubiectos Antuerpiæ cāpos per disiectas ab obſeſsis moles, quibus coerceri ſolet, &, totam ciuitatē cōplexus, ita planiciē inundarat oceanus, vt ſolum, quod paulo ante ſiccis veſtigijs premebatur, nauigia exciperet, ipſaq. Antuerpia, mari circūfuſa, non iam ciuitas, ſed inſula videretur. Herent obſeſſores, dubitant, circūſpectant, quò ſe vertant neſciunt; dolent tot menſium obſeſsionē tam facile irritā. Farneſius, cui cum periculo creſcebat animus, vt hoſtes, quocum ſibi res eſſet, intelligerent, mare mari reſtituit; altiſsimo flumini iugum impoſuit; pontem in eo victa, domitaq. rerum aſperitate, hoſtibus

Oppida a Farneſio capta.

In gratiam Sixti V. in Germaniam ducit exercitum.

Farneſius terram nauigauit, mare ambulauit.

Antuerpia.

Antuerpiam oppugnat.

Antuerpienſium ſtratagema.

Pontē in flumine Scaldi facit Par.

primum

primum ridentibus, deinde admirantibus, ad extremũ, re animaduerſa ſerius, fruſtra indignantibus, fecit, ea forma, ut ſtuporẽ cunctis attulerit; tanta longitudine, ut cæſarianum quingentis pedibus ſuperarit; tãta operis firmitate, tanto materiæ robore, vt creberrimas multarũ claſsiũ oppugnationes, & impetus ſuſtinuerit, nullis tormentorũ ictibus ceſſerit. Hic, hic alliſa eſt, & cõfracta impietatis arrogantia; hic animi, hic uires perditorum hominum cõciderunt; hic ſceleratisſimæ ſpes, hic nefaria conſilia, hic efferati conatus male ſanæ gentis corruerunt. Hic Alexander non modo magno Alexãdro, ſed ſe ipſo maior apparuit; hic Farneſius ea, quæ naturam, & conditionem habere uidebantur, vt vinci nõ poſſent, uicit. Irruerant ſæpe hoſtes, vt pontem euerterent, aut diſturbarent; multis tormentis uerberararant; ſubiecerant ardentes faces; pugnarant cũ Farneſianis, euentu uario, certa cũ ſua pernicie. Tandem ſtatuũt, nacti, quam optauerant, occaſione, tantis opibus, ac uiribus, tanta nauiũ multitudine, ac magnitudine, tam inuſitatis machinis, ut quæ fluctibus coopertæ, ubi opus eſſet, globos ferreos, aut marmoreos, ui incluſi ignis, emitterent, rẽ, toties tẽtatã aggredi, indeq. non, niſi uictores, re cõfecta, diſcedere. Neque eorũ conſilia ſucceſſu caruiſſent, cũ oppugnationis initia feliciter procederẽt, niſi Farneſius, ſui immemor, flumine Scaldi pęne ſubmerſus, ſuos perterritos, & obſtupefactos uehemẽtisſimis uerbis, & admirabili exẽplo ad cõferendam manum, ad defendẽdum pontẽ, ad repellendum hoſtẽ, concitaſſet. Tu, tu, Farneſi, uno, eodemq. tẽpore, & hoſtes gladio cõſcindebas, & tuos feſſos reuocabas, & recẽtes, integrosq. ſubmittebas; & quidquid furor hoſtilis demoliebatur, reſarciebas, cum, vt id auderẽt tui, fortitudine tua, vt ſcirent, exẽplo, ut poſſent, corporis oppoſitu, laterũque præſtares. Tu, cum tormẽta bellica, horribili fremitu, ſæuoq. impetu emiſſa, ita tonarẽt, vt uſum aurium adimerent, eos ignes efflarent, vt oculos perſtringerent, eam caliginẽ offunderent, ut cælum nubilum, & caliginoſum redderẽt, neq pedem retuliſti, nec timuiſti flammas, nec exhorruiſti tormẽtorum tonitrua, nec uolitantia ſaxa, ob uia quæque cum miſerabili ruina quatientia, formidaſti; ſed tam diu animo, & corpore indomitus perſtitiſti, quo ad inimicę claſſes, interfectis duobus militum millibus, multis nauibus captis, aut depresſis, aut cõbuſtis, aut velis, & gubernaculis amisſis, inutiliter fluctuantibus, diſiectæ, fugati cum maxima clade hoſtes, ſeruatus pons, & ſex horarũ ſpatio refectus, certam fecerunt, exploratamq. uictoriam. O' rem in omni memoria inauditam? Ludus fuit Alexandrum Macedonicum, natationis ignarum, Euphratem, admota pectori Parma, tranaſſe; iocus Coclitem unum contra omnes hoſtium copias aſtitiſſe, dum a tergo pons inter ſcinderetur, eoque reſciſſo, in flumen ſe conieciſſe, atque feliciter enataſſe; Nihil fecit Cæſar, cum in Hiſpania clypeum a proximo quodam milite arripiens, in hoſtilẽ aciem irruit, ſuisq. inclinantibus præliũ reſtituit; nihil ſuo auſpicio Metellus gesſit, ſi omnia iſtorum facta cũ hoc uno Farneſij facto conferantur. Hæc uictoria, diuino potius auxilio, quam vllis humanis uiribus parta, dici uix põt, ac ne cogitari quidẽ ſatis, quam compreſſerit ſpiritus, animoſq. fregerit perduellium, eorumq. fautorũ.

Farneſij inaudita virtus.

Nihil

Nihil iã audere Britãni,nihil Scoti,nihil Germani, nihil Galli,nihil Ba taui; dolere tantũ præſenti calamitate, angi metu futurarũ; timere ſuis rebus,de alienis nõ cogitare;mirari Farneſiũ tantã animo virtutẽ,tantũ corpuſculo robur,tantã vtroque patientiã oſtentaſſe;dolore,& iracundia difrũpi,cũ,quæ aut ab vno imperatore omnibus annis,aut ab omnibus imperatoribus vno anno fieri poſſe non crediderant,ea ab vno Farneſio,vno die,confecta meminerant. Antuerpienſes,funeſti cauſſa belli, modo æſtuare dubitatione,modo ſe confirmare,modo concidere cõmiſſi facinoris,& violatæ regiæ,diuinæq. maieſtatis conſcientia, modo inani confidentia erigi,modo inopes a conſilio torquere ſe in omnes partes non ſolũ mentibus, quas à fide auerterant, ſed etiã corporibus, quibus quæ poterat afferri iniuſta nex? Sed illi ſpẽ omnẽ, quã impudentia defectionis,& acerbitate pertinaciæ amiſerant,in Farneſij etiã offenſi, etiam irati,etiã victoris parata ſemper,& toties experta clementia reponẽtes, infelicis perfidiæ ſuæ ſatis felicẽ exitũ inuenerũt. Subacta itaque armis Antuerpia,& cũ ea toto fere Belgio in deditionẽ,ditionẽq. Philippi Regis,cũ ſumma totius orbis chriſtiani lætitia,redacto,duæ ſupererant Inſulæ,in quas totã belli molẽ conuerſurus Farneſius,ire inGalliã litteris Auũculi Regis iubetur. Ergo Rex,omniũ Regũ maxime, omniũq.optime,vt res alienas labantes fulcias,iacentes erigas,perditas reſtituas,tua rũ iacturã,ſumptuſq.contemnes? Ergo victoriam,tã diu expetitã,cũ aſſecutus ſis,ita elabi ſines,vt,quo die pedẽ in totius Belgij poſſeſsionẽ,Farneſij virtute,poſueris,eodẽ die,reuocato a victoriarũ curſu Farneſio, decedere de poſſeſsione velle,videaris? Ergo ſororis filius,vix refectis viribus,vix curato corpore,vix valetudine confirmata a vetere morbo,& à nouis ictationibus,ad nouos labores,ad noua pericula,ad nouũ,& certũ aut effundendi ſanguinis,aut amittẽdæ vitæ diſcrimẽ proficiſcetur? Proficiſcatur,inquit,Rex omniũ religioſiſsimus. Sic ſeruare vicinũ regnum, ſic gentes,noſtræ tutelæ cõmiſſas,protegere,ſic tueri regiũ decus, ſic retinere catholici nomẽ,ſic chriſtianæ rei,ad magnas anguſtias redactæ, vehementerq. laborãti,ſubuenire iubet. Nã tametſi ſororis filiũ vnice diligo.maximeq. vereor, nequid de eo fiat, tamen,quominus certa eſt hominũ,ac minus diuturna vita,hoc magis rẽpb. dũ per Deũ licet, frui uolo illius vita,atque virtute. Capiet etiã Farneſius glorioſum ante actæ vitæ fructũ,vnus bonorũ omniũ uotis,& precibus expetitus, in quo potẽtiſsimũ,& florẽtiſsimũ olim regnũ ſpẽ omnẽ,ſecundũ Deum, ſalutis,& libertatis ſuæ habere poſſe videatur. O vocẽ dignã Rege,dignã catholico,Philippo vero & Rege,& catholico digniſsimã. O præconium vnius Farneſij virtutibus,ac meritis æquale. Obſidebatur eo tempore Lutetia Pariſiorũ,vrbs pulcherrima,frequentiſsima,& ſtudio ſanctiſsimæ legis laudatiſsima,atque ita obſidebatur, vt non procul abeſſe a ſupremo exitio putaretur. Intus enim inuſitata fame,in omnes palam ſine diſcrimine ſæuiente foris immaniſsimo, & truculẽtiſsimo hoſte, cuncta uaſtante,& intercluſo omni aditu,quà ad ciuitatẽ cõportari cõmeatus poterat ferrũ, & flammam, niſi ſe dederet, minitante (neque minacius dixiſſe, quã facturũ [illegible] credendũ eſt) eo erat redacta,vt non poſſet non,in al-

Deditur Farneſio Antuerpia.

Vocatur in Galliam Farneſius.

Philippi Regis charitas erga vicinum Regnum.

Lutetia Pariſiorum fame laborabat & obſidione premebatur.

terutrum

terutrum euentum, eſſe miſerrima. Si perſeuerare, & tueri diutius conſtantiam uellet, erat illi ſine dubio fame pereundum; quando conſumptis omnibus cum publicis, tum priuatis cibarijs, nulla iam vitæ alimenta ſuppeterent; ſin hoſtem, cuius conatus toties ludificata fuerat, furentem audacia, reciperet, dubitabat nemo, cui effrænatio impotentis animi nota eſſet, quin tantum ciuium ſupereſſet, quantum infinitæ cædi reſtitiſſet; tantum urbis, quantum flamma obire non poſſet. Miſeri ciues, tenues præſertim, quorum deterior eſt ſemper in omni ſucceſſu conditio, exhauſti ſumptibus, inopes, perditi, poſtquam fame cogente, ne inuſitatis quidem cibariorum generibus pepercissent, in potentiorum domos irrupebant, non ſibi, qui mortem in lucro ponerent, ſed vxoribus, ſed liberis opem, & auxilium poſtulantes. Matres, paruulos filios complexæ, cum miſerabili vociferatione, atque fletu, Diuorum, hominumque fidem obteſtabantur: ſæpeq. accidit (o rem non modo viſu miſerrimam, ſed acerbiſsimam etiam auditu.) ut cibum, quē multis lacrimis ab alijs extorſerant, ex ore ſuo detractum, hiantibus filiolis porrigerent; ipſæ deficerent, hoc vno felices, quod chariſsima pignora, eadem fame morientia videre non cogerentur. Puerorum, extremo ſp[...]tu exanguium & confectorum, agmina totam urbem concurſabant; cibum flebili voce petebant; ignotiſsimos quoſque aut auunculos, aut fratres, aut parentes appellabant; ut uerborum lenocinio, atque blanditijs ad eam omnes charitatem allicerent, quam ſummæ neceſsitudinis, & propinquitatis nomina ab uno quoque uidebantur exigere. Pallebant ora, corpora ſine ſucco, & ſanguine extabuerant: oculi in ſuis orbibus retruſi, atque abditi, tempora lacunoſa, eminentes malæ, arida pectora, herens oſsibus cutis, incredibilis omnium artuum macies, ſquallor, ſordes ita miſeros homines deformarant, vt uix homines agnoſceres, hominum umbras diceres. Obſtupuerant ſenſus, defecerãt vires; vox emitti faucibus, manus moueri, capita in cælũ tolli non poterant. Qui locupletiores erant, & mediocriter pecunioſi, ideoq. tantæ, tamq. horribili rerum omnium caritati pares eſſe poterant; ingraueſcente in dies inteſtino illo malo, externo nihil de furore, & ſcelere ad huc remittente, dum timebant, ne eandem calamitatem ſubirent, perinde afficiebantur, ac ſi iam illam, ſimili atrocitate, ſubijſſent. Principes ipſi, ac potentes uiri pecunias largiendo, quæ condita, ac ſe poſita ſuis vſibus habebant, benigne diſtribuendo, magnum initio rebus afflictis ſolatiũ attulerant. Et tamen hi omnes ijſdem anguſtijs, ac difficultatibus premebantur, cum ſe, ſuos, alienos alerent; cum rebus eſculentis carerent; cum, quo longius progrederentur, eo magis à rebus, victui neceſſarijs, deſererentur; cum augeret diffidentiam rerum præſentium deſperatio futurarum; nullumq. niſi mors ipsa, quæ iam cunctis imminebat, excogitari remedium poſſet. Hæc erat facies clatiſsimæ ciuitatis, hic ſtatus florentiſsimæ urbis, hæc conditio gentis fortiſsimæ, & Deo, Deiq. religioni fideliſsimæ, quando Farneſius, collecto firmiſsimo, & validiſsimo exercitu, ingreſſus in galliam, ſuperatis impedimentis, aduerſa omnia, & inimica, torrentis inſtar, euertens, inſperantibus

Tenui cum ciuiũ fames.

Matres.

Pueri.

Mediocrium hominũ conditio.

Principes, ac potentes viri grauiter etiã laborant.

In hac tanta miſeria Pariſienſium ſubleuanda eluxit maxime Card. Caetani, legati a latere beneſica, & libera lis natura.

Liberat Luteciam Farneſius.

tibus hominibus ſalutem reddidit; deſperatis rebus in ſperatum, ac repentinum præſidium attulit. Fugatis enim hoſtibus, aduectoq. ingenti commeatu, ciuitatem à teterrima obſidione, à deteſtabili peſte, à funeſtisſimo incendio eripuit, & rempb. Chriſtianam grauisſimo metu, atq; ſolicitudine liberauit. Quæ fuerit eorum, qui ſe ex omni impetu hoſtium, ac totius belli ore, ac faucibus ereptos eſſe, atque ſeruatos videbant, lætitia, quæ gratulationes, qui inter ſe complexus; quam plena manu, quam ingenue, quanto cum uerborum honore, quam ex animo Farneſium liberatorem, conſeruatorem, patrem patriæ appellarint; eiuſq. cõmemoratis virtutibus, ac promeritis, ad aſtra laudes ſuſtulerint; quã grato animo accepta beneficia recognouerint; nõ eſt ingenij mei referre, eſt veſtræ prudẽtiæ, viri clariſsimi, iudicare. Sed ſi grata libertas eſt, ſi ex petenda uita, ſi iucunda liberorum, & coniugum præſentia, ſi amicorum ſuauis conſuetudo, ſi amabilis patriæ conſpectus, ſi dulcis fortunarũ poſſeſsio, ſi iis omnibus charior verus Dei cultus, templorum ſanctitas, religioſorum pietas, quid illi facere debuerunt, per quem libertatem, vitam, liberos, coniuges, amicos, patriam, opes, & facultates, veteres ritus, & ceremonias, aras, templa, religioſos homines retinuerunt? Fuit eadem Rhotomagenſium ratio, cum anno poſt, nec leuiora, quam Pariſienſes, obſidionis incommoda, nec minores hoſtes, nec tolerabiliorem famem perpeſsi fuerint; nec Farneſius, relicto Belgio, iterumq. petita Gallia, minores ſumptus fecerit, nec infirmiores vires fregerit, nec minus multos labores, moleſtiaſq. ſuſceperit. O vere partum aureum Margaretæ Auſtriæ, lectiſsimę fœminæ, & Patre Karolo V. Imperatore, digniſsimæ. o Menſẽ Auguſtum, vel ſolo Farneſij ortu, auguſtum, & rei chriſtianę vtiliſsimum. Cum igitur duos totius Gallię oculos duabus expeditionibus à dira cæcitate Farneſius defendiſſet, Belgium rediit, non ad otium, non ad quietem, non ad fructum præteritorum laborum, ſed ad ſementim nouorum, non ad præmia quærenda, ſed ad pericula adeunda, non ad pecuniam colligendam, ut ſæpe fit, vtque Metellus optauerat, ſed ad eam, quam ex ſuis reditibus, & vectigalibus capiebat, effundendam. Nam, cum vnde militibus ſtipendia perſolueret, non haberet; nec per menſarios, res nummaria, nec per publicanos, nec per mercatores curari opportune poſſet, ipſe de ſuo, menſis palam propoſitis, numerauit. Docuit hoc cõmemorabili exẽplo pecuniam aut eſſe contemnendã, aut ad beneficentiã, & liberalitatem cõferendam; nec tam relinquenda poſteris, ſi illis ab utantur, inſtrumẽta nequitiæ, quam documẽta virtutis; ampliſsimumq. patrimonium fore liberis ſuis, atque firmiſsimum, nominis paterni, & gloriæ memoriam; maximas denique, certiſsimaſq. diuitias eſſe, earum vſum, fructumq. nouiſſe. Nec mirum, pecuniam, qua nec melior eſt, qui abundat, nec, qui caret, deterior, profudiſſe Farneſium, qui ſanguini ſuo nõ pepercit, quem omnes æque ac vitam, charum habent. Teſtis eſt Gallia, quæ ad Caudebechium, ut vocant, brachium illius plumbea glande transfixum vidit: teſtis Ranutius Farneſius, filius, qui vulnus obligauit, cruorem abſterſit tremens, & exalbeſcens, non animi mollitia, non timiditate, ſed paterno periculo. Ecquis non eum caſum horreret, niſi qui ſtupore

Farneſij beneficia in Pariſienſes.

Rhotomagenſium & fames & obſeſsio.

Magnam pecuniam honeſte comparauit Metellus, honeſtius tamen. Farneſius profudit. id quod eſt multo glorioſius.

Farneſio uulneratur.

Ranutius filius.

ſtupore mẽtis oppreſſus a ſe ipſo, ideſt, a communi natura degeneraſſet?

At Pater, antiquæ magnanimitatis, & Romanæ conſtantiæ vera propago ad eum, ſerena fronte, ut tranquillitatem animi facile noſſes, conuerſus; Farneſij ad ſiliũ Ranutium ad hortatio. Vigilius.

Diſce, inquit, Puer virtutem, ex me, verumque laborem,
Fortunam ex alijs.

Diſce ſpiritum, quem naturæ debes, ſanctiſsimæ fidei reddere: diſce mortem, cum ea pro vitæ auctore oppetenda eſt, negligere, vltro etiam appetere. Nihil me hoc vulnus retardat; nihil effuſus ſanguis debilitat; exſuſcitat potius animum, & maiorẽ ad res gerendas facit. Perturbetur, licet per me, Alexãder Macedonicus, atque priſtinos illos, regioſq. ſpiritus, cõſpecto cruore ſuo, remittat; me tamen meus animoſiorem, ac fortiorẽ reddit, ſparſus, non lucri cupiditate, nõ ambitione, non vindictæ libidine, nõ hoſtili odio, nõ crudelitate, ſed eius cauſſa, qui ſuum, vt humanas ſordes elueret, atque ſcelera in ſeipſum, expiaret, totum ſibi exhauriri, & exinaniri paſſus eſt. Hæc tu iam meditare; huc te para; hæc cogita; ad hęc te exerce. Magna eſt hominum opinio de te, magna commendatio in dolis tuæ, magna memoria maiorum tuorum. Hæc profecto uides, quanto expreſsiora, atque illuſtriora futura ſint, cũ tibi paucorum annorum acceſsio fiet; teq. res ipſa publica ex domeſtica inſtitutione, & umbratili diſciplina in caſtra, in medium agmen, aciemq. deducet. Hęc laborũ, & periculorum exempla à me, ſi ſapis, fortunæ, & proſperitatis, ſi voles, aut quando voles, ab alijs pete. o dicta factis paria. o facta cuiuslibet exaggeratione maiora! Equidem, Ranuti, Princeps ſereniſsime, quamuis te, tantis parẽtibus, auis, maioribus, quãtos terrarum orbis admiratus agnouit, & ad tantas res, quantas iam animus ſuſpicatur meus, natum ita colam, atque ſuſpiciam, vt tuis fortaſſe, pręterea cedam nemini, tamẽ nunquam tibi maiorem, paterna, felicitatem optauerim. Nam, ut ceteris in rebus L. Metellum ſuperiorem pater tuus habuiſſet, quem ne æqualẽ quidẽ, niſi imprudens, quiſquam dixerit, tamen, te filio, omnes omnium fortunas, omnes omnium ſpes, in hoc felicitatis genere, omnia omnium uota ſuperaſset: nunc, cum ad te Odoardus Farneſius, Cardinalis illuſtriſs. ac ceſſerit, quid excogitari, aut fingi ad humanam beatitudinem amplius poteſt? Non eſt admodum optabile, multos liberos, vt contigit Metello, ſed optimos genuiſſe Reipb. Quare cum uos tales filios reliquerit, quales eſſe debent illi, in quibus neceſſe ſit, paterna virtus eluceat, quid in Patre ueſtro, qui omnibus rebus ita Metellum anteceſsit, vt eũ equis, ut aiunt, albis præceſſerit, ad nouam, & inuſitatam felicitatem defuit? An oratoria laus? Ea quanta in Metello fuerit, diuinare non poſſum; dubitare licet; quærere non uacat. Sed quid? Arbitramini res formidoloſas aggreſsione, horribiles perpeſſu, exercitui paterno, ex multis, & diſsimillimis nationibus collecto, perſuaderi potuiſſe ſine ſummis eloquentiæ uiribus? Siccine pericula, toties iam experti, libenter adijſsent? Siccine frigus, æſtum, famem, ſitim toleraſſent? Siccine uulnera, plagas, membrorum lacerationes, exuſtiones, mortem denique ipſam homines contempſiſsent? Siccine quæ nobis miſerabilia uidentur audientibus, illis perpetientibus fuiſsent voluntaria, niſi ita oportere, ita ex-

Alexãder cõſpecto cruore ſuo ſubmiſsius ſegeſſit, cũ antea ſe louis filium iactaret.

Metellus, Multos liberos relinqueret.

Odoardus Card. Ranutij Farneſij germanus frater.

Metellus. opt. Orator. Farneſij eloquentia.

 pedire,

pedire, ita decere, ita neceſſe eſſe Imperator ipſe oratione conuiciſſet?
Niſi quis putet, ut milites, appoſitis ſcalis, in hoſtilem murum conſcenderent, Farneſium primum operi manum admouiſſe; ut in confertam hoſtium aciem longe numero pauciores impetum facerent, irruiſſe; ut in aduersã fluminis ripam euaderẽt, enataſſe; ut flammas aſpernarentur, in eas ſe conieciſſe; ut ſanguinem nõ exhorrerent, ſuum ſibi hauſiſſe. Feciſſet hæc ſine dubio; nec Curtijs, Fabijs, Decijs, Scæuolis eam laudem conceſsiſſet, niſi ſe imperatorem, non militem, ſuo tempore, meminiſſet. Quid, quod tantum abfuit, ut illa omnia vitæ cupidus, recuſarit, vt etiam, ſui oblitus, non ſemel ab Auunculo Iohanne Auſtrio, ſæpe ab amicis, & corporis cuſtodibus retinendus, ac reprehendendus quodammodo fuerit. Reſtat, ut ipſi milites decoris, & honeſtatis cauſſa (nam lucrum uix, prædam ne uix quidem puto homines chriſtianos, ſub tali præſertim Imperatore, reſpexiſſe) tam atrocia pericula ultro adierint. Id ego de aliquibus libenter, de multis non item, de omnibus nulla ratione ſenſerim. Fuit unus inter plurimos Camillus Capiſucchus Romanus, pedeſtrium caſtrorum præfectus, qui, poſt longas in concilio, & maximis clamoribus habitas altercationes, quam ſententiam de ponte contra hoſtium impetum defendendo, dixerat eam incredibili animi magnitudine, & ſecundiſsimo euẽtu comprobauit. Siquidem gladio, & ſcuto munitus, repugnantibus multis, & hominem, quaſi ad interitum ruentem voluntarium, retinere contendẽtibus, cum exiguo ſuorum militum comitatu, pontem ingreditur; & ſexcentis undique telis, ac tormentis appetitus, ad alterum caput pontis progreditur; hoſtes ijs, quas paulo ante dixi, machinis, & opibus pontem ſimul & vicinos aggeres, ut ancipiti pugna, conſilia noſtrorum perturbarent, uireſq. diſtraherent, perfringere, ac labefactare conantes, vel potius perfringentes iam, ac labefactantes aggreditur, tanta animi præſentia, ut alij permulti ſeſe non recuſarint laboris ſocios, & comites periculi, ut gloriæ quoque participes eſſent, aggregare, tanta conſtantia, ut, ne uulnerato quidem crure, illius impetus animi, ardorq. conſederit. Fauit honeſtiſsimis conatibus, atque fortiſsimis Deus; is, quem audiuiſtis, ſecutus eſt euentus; factaq. ſpes eſt Antuerpiam poſſe capi, & omnino patefactum, Farneſium non poſſe uinci. Fraternæ æmulus uirtutis, Blaſius Capiſucchus, eodem die, qui ſemper erit prædicabilis, gloriandus, præſeferendus, cum ſuis haſtatis militibus, quibus præerat, diuerſa in parte, nec minus periculoſa, uſque adeo animoſe, ac ſtrenue rem geſsit, ut iure fuerit, cum par vitæ diſcrimen non fugerit, parem celebritatem nominis, & famã conſecutus. Euaſit tunc ille quidem integer, & inuulneratus; Sed Martis iniqua uis eius præclaræ uirtuti non pepercit diu. Nam, cum liberata Lutetia, Farneſius in Belgium rediret; & Blaſius, itinera exploraturus, agmen antecederet, incidit cum ſuorum paucisſimis in octingentos equites, inter quos erat Nauarrus ipſe. Eorum impetum cum diu ſuſtinuiſſet, graue in femore, & periculoſum uulnus accepit, ſuoq. ſanguine gallicum ſolum irrigauit, quaſi locum deſignans, ubi, non multo poſt, Ludouicus

Camillus Capiſucchus Romanus.

Blaſius Capiſucchus Camilli frater.

douicus

douicus Capiſucchus, Marij fratris filius, & Pauli, Iuuenis, modeſtia, integritate, humanitate, optimarum artium ſtudijs, & morum honeſtate præſtantis, frater cum honorificis militiæ muneribus fungi cœpiſſet, uigeſimo ætatis anno, mortuus, relicto maximo ſpectatæ iam, virtutis, deſiderio, conderetur. Eſt hæc uetus, & propria, & uera Capiſucchorum laus iam uſque ab eo tempore, cum Robertus Hamala, ex regia Gottorum ſtirpe ortus, huiuſq. pernobilis familiæ princeps, & auctor, Romę, ducta uxore, ſedem, ac domicilium, inuico Pomone, fixit, pro Eccleſia Romana acerrime pugnare, non parcere ſumptibus, non frangi laboribus, non vitæ iactura commoueri, contendere, quantum poſsint, uelle pluſquam poſsint, modo rem chriſtianam augeant armis, ſtabiliant præſidijs, tueantur uiribus, præclaris illuſtrent factis, nobilitentq. uirtutibus. Vnde mirum non eſt, qua in familia iſtæ laudes floruerunt, eas viros eiuſdem ſtirpis cupidiſsime ſequi. Hos, & horum ſimiles nonnullos Hiſpanos, Italos, Germanos, Belgas, non dibito, ſibi, quid agere, & quomodo, aut quando agere deberent, præſcripſiſſe, atque uitæ ignobili glorioſam mortem prætuliſſe nullius aut uocibus commotos, aut oratione perſuaſos. Eundem fuiſſe totius exercitus ſenſum, eādem periculorum, ac mortis contemptionē, eādem in aduerſis rebus fortitudinem; milites ſic paruiſſe, ut non fuerint ſæpe officij admonendi; ſic decoris auidos, ut nihil ignaue fecerint; ſic inter ſe concordes, ut nunquam diſſenſerint; ſic laboris patientes, ut nunquam illum recuſarint; ſic patriæ, & ſuorum oblitos, ut miſsionem non poſtulauerint; ſic amicos inopiæ, aut ſic pecunioſos, ut ſtipendia non flagitauerint; nemo mihi perſuadebit, etiam ſi perſuaſerit. Quid? Germanos tumultuātes, & caſtra ſe moturos pręfracte negantes, quo modo ſedauit, & rem inclinatam, ac propēdentē ad ſeditionem, compoſuit, obſtinatoſq. homines in ſuam ſententiā traxit? Num armorū ui? At inermis ad illos prodijt. Num inſtructa acie, aut agmine quadrato, aut phalange facta, ut cum illis, niſi ſe, quo ducere uolebat, ſequerētur, pugnaret? At ſolus, & equo uectus prodijt. Fuit quidem fortiſsimi Imperatoris ſic ad ſeditioſos milites, armatos, & paratos ad facinus prodiſſe, pertinaces, iratos, & qui contumacia quadam ad edictū Imperatoris obduruerant, ab illa mente deieciſſe, optimi oratoris fuit. Ita enim ſe uir ſapientiſsimus rerum occaſioni gerendarum aptauit, ut, cū imperatoria perſona nihil, aut certe parum profutura uideretur, eam exuerit, oratoris induerit, & impetrare quæ cuperet, lenitate orationis, quam imperij ſeueritate extorquere maluerit. Ergo non manu ſolum, ſed etiam eloquentia, parens ueſter milites ſuos ad eas res cōcitauit, quas, qui aggrerētur, antequā aggrederentur, geri poſſe dubitarēt, poſt quam geſsiſſēt, geſtas non crederent. Verum honores, quibus eſt functus Metellus, parentis ueſtri honoribus amplitudine officiunt ſua. Pontifex enim fuit, bis Conſul, Dictator, Magiſter equitum. Nū hi minores ſunt? Parmæ, & Placētiæ Dux, Belgij Gubernator, inuicti exercitus Imperator, aurei Velleris eques? Nō equidē arbitror. Nā quātū illi magiſtratus Imperij magnitudine his olim præſtiterūt, tātū illis hi lōga uſura antecellūt. Illorū

Anno Domini 460.

Auctores Iohā. Petr. ſcrimarius i crō. Fanuſius Cāpanus lib. de famil. illuſtri. Italię.

Per. Bocchacinus de ortha in p. chro tomo italiæ.

Inſigne familiæ Hamalæ tris cæleſtis, quæ Gottica lingua appellabatur caſuch ide corrupta uoce capiſucch.

Prodiere ex hac familia capiſucchorum nobiliū de vico Pomonę, ſtephanus. II. Pōt. Max. Robertus, & Iohannes Antonius Cardinales, Marcus Epiſcopus Taurinorū Auguſt. Fabricius duarū bello ſacro triremiū præfectus, Albertus, Imperatoris Ottonis IV. cubicularius, alijq. per multi.

Quo modo ī ſētētiā ſuam Germ. milites dicto audientes, duxerit Far.

Maximo honore uterēretur.

Metelli honores.

annua adminiſtratio, horũ æqualis vitæ poſſeſſio; in illos nullũ filijs, aut poſteris ius, horũ hęreditas peruertit ad natos natorum, & qui naſcentur ab illis. Vt non lõge à vero abfuerit, qui pares vtriuſque honores dixerit, cũ illorum magnitudo breuitate tẽporis minuatur; horum mediocritas diuturnitate vſus cõpenſetur. Eccleſiæ Romanæ ſigniferatum, nõ niſi in beneficia erga rempb. ingentia conferri ſolitũ, & à Sixto V. Pont. Max. in patrem veſtrum collatum, cui Metelli officio, præfecturæq. comparabimus? Hoc munus quamuis per ſe quidpiam eſſet leue, paruiq. momenti, quod certe eſt, fuitq. grauisſimum, & honorificentisſimum, tamen, & maieſtate vnius, qui dedit, & præſtantia alterius, cui datum eſt, non poſſet non eſſe quauis Metelli dignitate ſublimius. His tot, & tantis honoribus auctus, ornatus, cumulatus quam ſe alius iactaſſet? quam magnifice circũſpexiſſet? ad quam ſe felicitatem, ad quod gloriæ culmen euectum putaret? Farneſius vero, vſquequaq. ſui ſimilis, non magis affectus eſt tanto bonorum cumulo, quam Hercules Xenophontius, ſub cuius perſona ſummæ, atque perfectæ virtutis virũ Poetæ deſcribunt, voluptate. Paternæ itaque fuit modeſtiæ de ſe ita ſentire, & loqui, vt omnẽ arrogantiæ, & elationis ſuſpicionem vitaret, & in ſe laborem, & virtutẽ, in alijs fortunam agnoſceret; veſtræ prudentiæ, Sereniſsimi Principes, ſic exiſtimare, neminem eſſe, qui non ſperet futurum, vt veſtrum alter Paulum III. Pont. Max. paternum atauum, alter abauum maternũ, Karolum V. Imperatorem, rerum geſtarum gloria, orbi terrarum, repræſentet. Scio, me, Viri illuſtriſs. dum, cum duobus clarisſimis Farneſij filijs loquor, procesſiſſe longius, quam eum decuit, qui plurima, eaq. præſtantisſima de Parente propter rationem breuitatis, & temporis, prætermittit. Sed, amabo, quis lubens ab eorum colloquio diſcedat, in quorũ virtutibus heret, admiratione defixus? Quis præterea, cum rebus iucundisſimis paſcatur, ad acerbisſimas ſponte feſtinet? Quis demum luctuoſum, & miſerabilem caſum, ſi vitare nequeat, non iniecta mora retardet? Refugit animus, atque formidat nouum funeſtæ orationis ingreſſum: ideoq. meandros, diuerticula, flexioneſq. quæſiuit, vt quã tardisſime poſſet, ad importunũ Farneſij ex hac vita diſceſſum laberetur. Sed pareamus necesſitati, demuſq. operã, vt quemadmodum ille ad finem laborum, & initium veræ, æternæq felicitatis, ſic nos ad exitum orationis, ſi non pari alacritate, eadem ſaltem animi ęquitate, veniamus. Tentabatur periculoſo quodam genere valetudinis Farneſius, &, quę ſolent eſſe incommoda ſenectutis, ea in illius ætatem mediam inuexerant grauisſimæ curæ, immẽſi labores, moleſtisſimæ uigiliæ, importuna itinera, & impedita, longisſimæ expeditiones, perpetua ſolicitudo, creberrima cæli, ſoliq. mutatio. Et tamen cum ſuam in Gallia deſiderari præſentiã, operãm, requiriri, auxilium flagitari, ex Philippi Regis catholici nuntijs, litteriſque didiciſſet, ad manifeſtum uitæ periculum, ſine vllo metu, mortis, cũ aliqua perueniendi, ſine vlla, aut pertenui ſpe redeundi, proficiſcitur, non recuſans, quo minus, vel extremo ſpiritu, ſi quã perditis rebus nobilisſimi regni opem ferre poſſet, experiretur. Tantum enim aberat, vt eſſet aut mutata voluntate, aut languido ſtudio, aut animo fracto, vt etiam

[Margin notes: Virgilius. — Aequa eſs vtriuſque honores. — Signiferatus S. R. E. a Sixto V. in Farneſium collatus. — Modeſtia Farneſij. — Honeſta excuſatio. — Farneſij morbus. — Redit tertio in Galliã Farneſius.]

labore

labore ali, recreari periculo, gaudere difficultate rerum videretur. Vera ſiquidē uirtus rebus gerēdis delectatur: otioſa eſſe nequit, uim ſuam longe, lateq. diffundi, præſtantiā propagari, infinitam bonorum multitudinem omnibus impertiri cupit. Quo grauius exercetur, uehemētius laborat, pluribus curis diſtenditur, eo iucundius recreatur, ualidius roboratur, alacrior, & erectior ad agendum exſurgit. Ceterarum rerum ea natura ſit, vt tunc minuantur, aut eſſe deſinant, cum primum cęptę fuerint cum alijs communicari: at virtus nullam ſui iacturam pertimeſcit; nullo vſu decreſcit; nulla profuſione exhauritur: immo tantūdem ad eam adijcitur, quātum ex ea alio deriuatur. Peruenerat iam cum exercitu ſuo in Arrebatū fines; erexerat omnium mentes exſpectatione rerum futurarū, admiratiōe præſentium, recordatione præteritarum: omnes, quid tertius ille in Galliam aduētus facturus eſſet, ſuſpenſis animis, ardentibus ſtudijs, &, pro ſēſu partiū, uaris, attendebant. Veruntamen dum boni bene ſperant, dum timēt improbi; vtriq. vt neceſse erat, cogitationes ſuas, & rationes ad diuerſas partes dirigunt, qui multa, quæ ſupra humanas vires eſse videbantur, egregie ſuſtinuerat, grauiſsimi morbi, atque mortiferi uim diutius ferre non potuit. Nihil Ranutij filij cura, nihil intimorum familiarium ſolicitudo, nihil ſedulitas miniſtrorū, nihil lectiſsimi ex tota Europa me dici, nihil exquitiſsima remedia, nihil bonorum preces, nihil piorum lacrimæ prodeſse potuerunt, quo minus vniuerſæ carnis viam ingrederetur. Pręſenſerat iam Princeps optimus imminentem mortē; & quibus cum deinceps hoſtibus pugnaturus eſset, iamdiu edoctus, ijs ſe armis ornarat, ſine quibus dementiæ eſt in arenam deſcendere, aut, ſi deſcenderis, ſperare victoriam. Expiatus ab omni humanæ impuritatis contagione, quod cum alias ſæpe, tum toto eo anno ſæpiſsime fecerat Sāctiſsimum Chriſti corpus, cum grauiſsima erratorum ſuorum deteſtatione, ſumpſit; illisq. diuinis epulis refectus, animo forti, eoq. cælū aſpectante, illorum hoſtium, qui ſub aſpectum non cadunt, terribilē cōflictionem exſpectabat. Erat illi pro armigero puero conſcientia recte factorū, pro ſtipatore corporis, cruciatuū, dolorumq. patiētia, pro clypeo, Fides, pro ſignifero, Spes, pro Duce, Charitas, pro demōſtratore viæ qua illuc itur, ubi coronam accipiunt, qui legitime certarunt, eius imitatio, cuius è cruce pendētis imaginē, tāquam gladium bis acutum, & innumerabilium palmarum inſtrumentum, dextra tenebat. Poſtquam aliquādiu hoc ſpectaculum ipſis hoſtibus formidoloſum, hominibus ſalutare, ſibi ipſi glorioſum, cælitibus gratum præbuit, animum illi, a quo acceperat, reddidit, ut is, cui nihil iam ad humanæ felicitatis ſummam accedere poterat, ad cęleſtem aſpiraret. Vbi vulgatum eſt, Farneſium diē ſuum obiſse, tanta repente omnium eſt rerum conſecuta mutatio, quantam nemo vnquam oratione conſequatur. Quis referat gemitus, ſingultus, lacrimas domeſticorum, languorem nobilitatis, militum querimonias, aliorum accurrentium, recedentium aliorum tumultum, & concurſationem? Quid ego dicam de Ranutio filio? is quidem ita affectus eſt animo, ita afflictus luctu, vt nemo pater vnici filij mortē magis doluerit, quā ille męruit patris. Nec mirum. Nouerat Iuuenis generoſiſsimus

æque

Veræ uirtutis naturæ.

Peruenit in Arrebatum fines Far.

Moritur Farneſius.

Quæ mortē Far. præceſſerint.

Quæ ſint Farneſij mortē cōſecuta.

Ranutius Filius patri morienti interfuit.

æque ac prudētiſsimus qualē patrē,& quā alieno tēpore,amiſiſſet. Quis erat ſtrepitus, qui clamores,quæ concertationes,quæ iurgia, dū in lōge maximo diuerſarum gentiū concurſu,hi admittuntur ad mortuū,illi excluduntur;omnesq. ita diſcedūt,vt admiſsos, uidiſse vehementisſime pœniteret,excluſos,nō vidiſſe,quodāmodo iuuaret. Minus enim audita mouent:viſa multo altius in animos imprimūtur,illosq. vehenētius,diutiuſque cōficint. Quid,cū in propatulo,& aperto ſitus loco,oīum oculis obiectus eſt? Qui ſingultus? Quæ ſuſpiria. Quę vociferationes? Qui ſtupor? Hic ne ille eſt,cuius ſudore,labore,ſāguine religiōi chriſtianę fides,Ecc. Ro. dignitas, Apoſt. Sedi auctoritas, quoad eius fieri potuit,parta eſt? Hic ne ille,qui Belgas ab exitio,quo præcipites ferebātur,magna ex parte reuocauit; qui ampliſs. & celeberrimas ciuitates ex impetu immaniſſimorū hoſtiū, infinitā hominū multitudinē ex miſerrima cæde eripuit; nefarios ſceleratisſimorū hominū conatus, atq. furores fregit? Hic ne ille vrbiū expugnator,Turcarū uictor,hęreticorum domitor,vltor ſcelerum,reſtitutor tēplorum,inauditarū machinarū fabricator,admirabiliū operū artifex? Hæc ne illa arma, quibus protectus ferocisſimis hoſtibus formidinē incutere,eſſeq. terrori ſolebat? Hæc ne illa galea, auro, & gēmmis pretioſa, & uerſicolorum plumarū criſta inſignis, quam cū capiti ſuo imponebat, ueteres illos martios heroas ardore oculorum,ingenuitate frontis,& totius oris dignitate referebat? Hic ne ille equus generoſus, & phaleris pulcherrime factis, ornatus, in quem ſimul atque conſcenderat, omnium intuentium animos ſui admiratione complebat! O miſeram, & in breui tam celerem rerum commutationem! Alexandro Farneſio,totius militiæ Principi, pro fulgentibus armis, amictus fratrū Franciſcanorum? pro galea,cucullus? pro torque aurei uelleris, aut pro balteo, ad uſum gladij apto,ad corporis ornatum fibulis aureis decoro, è craſsiore fune cingulus? pro equo, ligneus capulus, uili panno contectus? Quid nam hoc eſſe dicemus? Anne Imperator fortisſimus illa ornamenta militaria ſibi diſplicuiſſe, nec illis uſurum fuiſse, niſi reipb. Chriſtianæ tutela, & propugnatio coegiſſet, eo declarare uoluit, quod, cum primum licuit, ſtatim depoſuerit? Anne, vt Dauid Saulis arma, ita illa ſua uetera, tanquam nouiſſimo certamini prorſus inepta, & nihil ualitura, abiecit? Anne Karolum V. Imperat. maternū auum,quandiu licuit,voluit imitari? Anne, qui nos oēs paterna charitate cōplexus, nihil vnquam ſtatuit,quod nobis moleſtiam iure afferret,veritus, ne moriens, dolore afficeret,iſtum in modū perſonatus, uoluit noſtris ex oculis,gremio, amplexuq. ſubduci? Suſpicamini nō incredibiliter, Viri optimi: verū ego, ſi libet,rē totam aperiā. Quæ latebat rerum humanarum deſpicientia,quæ occultabatur animi,pietatis plena,demisſio, ea erupit tandē,& uera inſignia,illis,quæ publica cauſſa obtruſerat,amotis, ſublatis,inquā,integumentis,detractis inuolucris,oſtendit. Hic fuit ornatus volūtatis,ille necesſitatis;hic cultus Farneſium, ille Imperatorē decuit; his armis,diuina ope nixus,incorporeos,& inuiſos hoſtes,illis corporatos,& aſpectabiles, ſuperauit; hac noua, quæ multiplicis virtutis index eſt, ſpecie cælum ſibi (vt optamus) illa uetere, gloriam cælo

Summa totius oratiōis. Viſo Farneſio iam mortuo clamores excitantur.

Alexandro pro armis amictus fratrū Frāciſcanorū, pro galea cucullus, pro balteo cimbatus e fune, pro equo capulus ligneꝰ.

Karolus V. Imperator ſumpto habitu monachorum ſe inſepta religiōis incluſit.

compa-

comparauit. Ducitur intereà funus, & quod ita, moriens, iuſſerat, ducitur ſine pompa, & faſtu; ducitur ſine apparatu, comitatu exiguo, paucis cereis, paucioribus atratis. Sed exercitus Proceres, militeſq. ipſi, deiecto, mœſtoque uultu, ſe ſocios inferunt. Audiuntur ſtrepentia, funeſto quodam, abſono, & abſurdo ſonitu tympana. Alij, haſtis a tergo, more militari, tractis, & ſignis, ſolum uerrentibus, triſtes, ac ſorditati proſecuntur. Alij cereos ardentes præferunt, tanta multitudine, vt longiſsimus ille, qui erat ad ſepulturæ locum, tractus, maximo, continentiq. agmine incedentes, non caperet; & ea tot cereorum funalium varietas, ac ſplendor, rem procul aſpicientibus, ſpeciem obijceret ſtellarum, quæ noctu, quod obſcura caligine tectæ, non lucerent, ad comitandum, & ſepeliendum eius corpus, cuius animus (vt ſpes eſt) in cælum aſcenderat, deſcendiſſe uiderentur. Facta eſt ſine dubio, Viri clariſsimi, rei pretioſiſſimæ vix æquo animo ferenda iactura; amiſimus Principem, cuius ſimiles multis ab hinc ſæculis Sol pauciſsimos vidit. Mortuus enim eſt Bellator primarius, Imperator fortiſsimus, Senator ſummus, ſumma ſapientia vir, incredibilium rerum auctor, & confector, diuitiarum contemptor, eorum pater filiorum, in quos omnium bonorum oculi conijciuntur, orator optimus, ampliſsimis honoribus uſus, & clariſsimus nō in vrbe ſolum, ſed in toto orbe terrarum, quando eius res geſtæ, atque virtutes (vt de C. Pompeio ſcriptum legimus) eiſdem, quibus Solis curſus, regionibus, ac terminis continentur. Quæ omnia, quo maiora, & illuſtriora in Farneſio, quam in Metello fuerunt, eo illius obitus maiorem nobis afferre dolorem, & dolor eò minus conſolabilis eſſe deberet, niſi quantum illius, quandiu vixit, felicitatem auxerunt, tantum mœrorem noſtrum, luctumque minuerent. Optimum eſt conſolationis genus, meminiſſe, illi, cuius mortem lugemus, nihil iam, neque acquiri, neque optari a nobis poſſe ad vitæ fructum amplius, nihil ad decus honeſtius, nihil ad gloriam ſublimius, nihil ad felicitatem fortunatius: ſi quidem ſummæ felicitatis eſt in ipſa felicitate mori; nec is parum vixiſſe dicendus eſt, qui tanta, & tam multa perfecit quanta, & quam multa vix Imperatores alij, qui ad ſummam ſenectutem vixerunt, tacita cogitatione deſignarunt. Hoc uno inferior videri Metello Farneſius poteſt, quod ille filium, auctoritate, honore, rebus geſtis, & dicendi facultate preſtantem, hic me, nulla re magis, quam ſtudio, fide, obſeruantia, & obſequio commendatum, laudum ſuarum præconem inuenerit. Sed non ita eſt. Laudauere Farneſij incredibilia in remp. Chriſtianam promerita, heroica facta, & excellentiſsimas in omni genere virtutes diſertiſsimi homines ad pulcherrimam imaginem ueteris eloquentiæ. Laudant, nec unquam laudare deſinent omnes Pariſienſes Academiæ, earumque Doctores. Quoties enim litteratiſsimi homines Academias ingredientur; quoties ſuggeſtum conſcendent; quoties eorum eruditis uocibus parietes perſonabunt; quoties ſtudioſorum iuuenum frequentiam, & concurſum videbunt, toties renouabunt Farneſij deſiderium, toties rerum geſtarum memoriam vſurpabunt. Quod enim ipſi uiuant; quod apud illos vigeant litteræ; quod floreant

Funus ducitur ſine pompa.

Quid totus fere exercitus fecerit.

Quæ decem & optauerat, & aſſecutus eſt Metellus, eadem multo illuſtriora in Farneſio fuerunt.

Cic. Catil.

Maximum cō ſolationis genus.

Summa felicitas in felicitate mori.

Farneſius nō modo illis de cē rebus, ſed & laudatore Metellum ſuperauit.

Farn. laudatores.

Pariſienſes homines docti.

reant ſapientiæ ſtudia; quod illi parietes ſtent; quod adſint auditores; quod interſint doctoribus prælegentibus; quod præſint litteratis exercitationibus, Farneſij laboribus, periculis, incommodis, vulneribus referre acceptum debent. Quantum lingua, voce, lateribus, quantum ſpiritu poterunt, tantum contendent, vt ſe commemoratis, quæ acceperunt, beneficijs, gratos, ac memores præſtent. Quod ſi docti homines, rerum magnitudine deterriti, quæ non queunt oratione conſequi, ea ſilentio prætererint, vt pictor quidam (Timantes opinor) obuoluit caput Agamemnonis, quoniam ſummum illius luctum penicillo non poſſet imitari, non ideo carebit debita commendatione Farneſius. Manet, vt dicebat ille, æternumque manebit Sanctiſsimi Domini Noſtri CLEMENTIS VIII. de Farneſio teſtimonium: exſtat, & exſtabit Ecclogium, cui mortales omnes, ui coacti veritatis, vna voce, & vna mente conſentient; Mortuo Farneſio perdidiſſe rempb. Chriſtianam eximium dignitatis ornamentum, & validiſsimum præſidium ſtabilitatis ſuæ. Vt neque Alexandri Farneſij virtutes altius exaggerari, neque ſummus, & Sanctiſsimus Pontifex aut glorioſius, aut digniori, præconium tribuere, neque Farneſius a laudabiliori ex omnibus mortalibus, viro laudari potuerit. Quæ igitur meæ fuerunt hodierno die partes? Hæ, ſcilicet; ne Alexandro Farneſio, qui velut Romanus quidam huius noſtræ ætatis Phœnix, accerrimo in rempb. Chriſtianam charitatis ardore deflagrauit, non quidem ad magnam (ea enim, qua celebratur, tanta eſt, vt nullius alterius acceſſione fieri maior queat) ſed ad latam prædicationem, hominis Hiſpani, ex cuius non modo infantis ore, ſed etiam infantiſsimi, laudem ſibi perfecit, uox, quæcunque illa ſit, defuiſſe uideretur.

Virgilius.

Clemẽs viij. de Farneſio mortuo teſtimonium.

Hector apud Neuium laudari cupit a laudato viro.

Farne. quaſi quidã Rom. Phœnix charitatis ardore deflagrauit.

Duplex pdicatio magna, & lata, auct. Plin. iuniore.

D I X I.

Errata	ſic in Oratione.	corrige.
parens.		parem.
ſi una mecum, &c.	ſi illius facta, una mecũ eadẽ leuiter &c.	
coſebat,		cenſebat.
optauerant.		optauerant.
occaſiont.		occaſionem.
ſauiente		ſauiente,

Z 1013 12

2 955944

MC